45
46

THESES THEOLOGICÆ. DE ECCLESIA CATHOLICA, QVAS

Duce Spiritu Sancto, sub præsidio viri doctissimi & clarissimi

D. ANDREÆ MELVINI SS. Theologiæ, & eiusdem facultatis Decani,

sustinere conabor

IOANNES WALLASIVS F.

ad diem 23. Iuly. In Scholis Theologicis Academiæ Andreanæ.

Edinburgi apud Robertum Charteris Typographum,

Anno Dom. 1601.

Reverendo ac omni pietatis officio colendo

IOANNI VVALLASIO, parenti suo,

NEC NON

Clarissimis doctissimisque viris,

D. ANDREÆ MELVINO,

D. FRANCISCO GOMARO,

D. IOANNI IONSTONO,

SS. Theologiæ doctoribus & professoribus, Præceptoribus suis optimè de se meritis,

Hasce,

De ECCLESIA CATHOLICA Theses,

studij sui Theologici primitias,

Grati animi, debitæque observantiæ symbolum,

Dicat, consecratque

IOANNES WALLASIVS F.

Respondens.

THESES THEOLOGICÆ
de Ecclesia Catholica.

Thesis I.

ECCLESIA ἀπὸ τῦ ἐκκαλεῖν, quod est evocare (latinis Concio quasi concieo, & cœtus quasi cô itus dicta) propriè significat multitudinem convocatam autoritate superioris alicui[o]: sive multitudo sit civilis, sive ecclesiastica, profana sive sacra[a], atque hinc per metaphoram universum cœtum sanctorum qui sunt, fuerunt, & futuri sunt [b], & per synecdochen partem illius designat [c]. Deinde per metonymiam adiuncti particularis hominum fidem Christianam profitentium multitudo, à præfectis suis convocari solita, Ecclesia vocatur[d]. Atque hinc rursus per synecdochen aut solis particularis Ecclesiæ pastoribus & præfectis[e], aut soli gregi[f], Ecclesiæ nomen tribui solet.

[a] Act. 19. 31. Ibid. 7. 38. [b] Ephes. 1. 22. Ibid. 5. 23. [c] Act. 20. 28. [d] Act. 8. 1. [e] Ibid. 17. [f] 20. 28.

II.

Nos Ecclesiæ nomine veram Christi Sponsam intelligimus, quæ Christum in spiritu & veritate colit[a], & in symbolo Catholica vocatur.

[a] Ioan. 4. 23.

III.

Ecclesia Catholica est cœtus universus hominum[a] electorum[b], qui sanguine Christi redempti[c], per verbi ministerium[d], à Deo efficaciter ad communionem Christi vocati & deinceps vocandi sunt[e]: annumeratis infantibus electis, qui per ætatem vocationis capaces non sunt[f], ad æternam electorum salutem[g], & laudem gratiæ ipsius[h].

[a] Ephes. 5. 25. 26. Heb. 12. 16. [b] Rom. 8. 30. [c] Gal. 4. 5. [d] Mar. 16. 15. 16. [e] Ioan. 3. 39. [f] Act. 2. 39. [g] Ioan. 20. 31. [h] Ephes. 1. 12.

IV.

Non ergò ad Ecclesiam pertinent Angeli sive boni sive mali: Non item homines reprobi & hypocritæ.

V.

Vnicum huius Ecclesiæ caput est Christus Dei filius ‘a’, qui cum sit verus Deus & Ecclesiæ perpetuò adsit ‘b’, nullo indiget successore aut vicario, & quũ sit solus Ecclesiæ Spõsus ‘c’, cum nullo prorsus hunc dignitatis gradũ cõmunicat.

‘a’ Colos. 1. 18. ‘b’ Mat. 18. 28. ‘c’ Ioan. 3. 29.

VI.

Ecclesia hæc vna est, sicut vnus est Deus, vna fides, vnum Baptisma, & vna spes vocationis nostræ ‘a’. Hęc autem vnitas consistit in communione sanctorum, qui omnes per Spiritum S. cum capite & inter se in unum corpus coniunguntur: hæc charitatis, illa fidei est unio ‘b’.

‘a’ Ephes. 4. 4. 5. 6. ‘b’ Rom. 12. 4. 5. 1. Cor. 12. 12. 13. Ephes. 4. 15. 16.

VII.

Sancta etiam Ecclesia nominatur, quippe quam Christus à peccatis mundatã suo sanguine ‘a’, renovat a sordib. carnis ad sanctitatem ‘b’, quam inchoat in hac vita ‘c’, perficit in futura ‘d’, cùm Sponsam maculis & rugis vacuam gloriosam sibi sistet ‘e’.

‘a’ Ephes. 5. 25. ‘b’ Rom. 8. 9. ‘c’ Ephes. 4. 13. ‘d’ Phil. 1. 6. ‘e’ Ephes. 5. 27.

VIII.

Vnde porrò sequitur extra vnam hanc & sanctam Ecclesiam nullam esse salutem, eoque nec posse quemquam salutis esse participem, qui non re & actu huius Ecclesiæ membrum sit. Christus enim salutem dat corpori suo ‘a’, a quo qui sunt alieni servari nullo modo possunt ‘b’.

‘a’ Ephes. 4. 26. ‘b’ Ephes. 2. 12.

IX.

Et quoniam huius Ecclesiæ pars vna adepta gloriam cœlestem cum beatis angelis triũphat ‘a’, pars altera adhuc in terris militat & in castris victoriam expectat ‘a’, hinc Eccle-

sia

sa in triumphantem & militantem: & hæc rursus in particulares distingui solet.

'a' Ephes. 1. 10. Ibid, 3. 15. Colos. 1. 20.

X.

Ecclesia particularis est cœtus particularis electorũ cohabitantiũ & cultũ dei ex verbi ipsi° præscripto exercentiũ ,a,.

'a' Act. 2. 28. Gal. 1. 2.

XI.

Hanc autem, vt ab hominibus agnosci possit, Dominus externa & in oculos hominum incurrente nota, quasi symbolo designavit: adeò vt ubicunque hæc nota conspiciatur & statam sedem habeat, ibi Ecclesiam esse necesse sit 'a, cui se pii adiungere & honorẽ Ecclesiis debitũ defe rre debeant. Vnderationẽ huius externi adiuncti, Ecclesia visibilis vocatur

'a' Mat. 18. 20.

XII.

Quoniam verò hic visibilis Ecclesiæ status hypocritas multos admixtos habet, qui eandem cum verè piis fidem profitẽtur 'a, (quò fit vt electi & verè pii, quorũ omnis gloria interna est, nec sensibus nostris exposita b, a reprobis & hypocritis, extremo sensuum iudicio dignosci nequeant) hinc rursus Ecclesia vera ratione essentiæ invisibilis, & solius Dei ἀφοριστὸς 'c, oculis conspicua dicitur 'd,. Atque hinc est quod in Symbolo nos Ecclesiam credere profitemur.

'a' Mat. 13 24 47. 'b' Psal. 45. 13. 'c' Act. 1. 24. 'd' 2. Timoth. 2. 19.

XIII

Non ergò Ecclesiam dividimus, nec duas Ecclesias facimus, dum Ecclesiam in invisibilem & visibilem distinguimus: Nam vnam eandemque numero Ecclesiam ratione externi adiuncti visibilem, per se verò & essentia sua invisibilem esse dicimus.

XIV.

Ex his porrò patet aliquos semper Electos Ecclesiæ visibilis partem esse eamque potissimam: propter hos enim Ecclesiæ visibiles, Ecclesiæ dicuntur. Nam licet reprobi externa

pietatis professione in Ecclesia esse censeantur, re vera tamen ab Ecclesia extranei sunt 'a'.

'a' Mat. 7. 23 Apoc. 21. 27.

XV.

Atque hinc fieri solet, vt elogia totius electorum Ecclesiæ de singulis particularibus Ecclesiis dicantur 'a' (Nihil enim interest, inquit Hieronymus, de corpore quid dicatur an de membris) non quia sunt visibiles sed quia visibiles Ecclesiæ Electos habent, propter quos Ecclesiæ dicuntur.

'a' 1. Timoth. 3. 15. Act. 20. 28.

XVI.

Porro quamvis semper sit aliqua vera Christi in terris Ecclesia 'a', non tamen semper eodem modo se habet: sed instar Lunæ crescit & decrescit: Imó aliquando ita obscuratur, ut oculis nostris non pateat, & non sit aliqua Christi visibilis Ecclesia in terris publicè nota 'b'.

'a' Psal 89. 4. 'b' Ierem. 5. 1.

XVII.

Itaque quamvis vera Christi Ecclesia simpliciter non possit deficere, potest tamen ratione externi splendoris & visibilis successionis penitus evanescere: adeò vt illa nobis non amplius superesse videatur. Vnde Ecclesias visibiles tùm omnes 'a', tùm singulas 'b', tam in fide, quam in moribus errare posse conficitur.

'a' Esa 59. 10. Apoc. 13. 8. 'b' Gal. 2. 14. Ibid. 3. 1.

XVIII.

Errat autem Ecclesia quoties deflectit a via quam in verbo suo præscripsit nobis Deus: 'a', quę via & doctrinæ puritatem & morum sanctimoniam continet 'b'. Vnde errat Ecclesia moribus, quando malum committit: Errat doctrina: quando falsum iudicat. Horum autem errorum alij sunt sanabiles, alij mortiferi: In Ecclesia item cum alij sint Electi alij Reprobi: vtrique & doctrina & moribus errare possunt: Electi errore sanabili ad examen: Reprobi errore mortifero ad exitium.

'a' Gal. 1. 8. 9. Mat. 7. 7. 'b' 2. Timoth. 13. 16, 17.

XIX.

Vnde patet autoritatem Scripturæ S. maiorem esse quam Ecclesiæ. Nâ Scriptura nec errare, nec in errorem seducere quemquam potest: tota siquidem divinitus inspirata est [a], Deus autem neque fallere potest neque falli [b]. XX

Vnica ergo & essentialis nota quæ Christi visibilem Ecclesiam demonstrat, est pura verbi divini prædicatio [a], vt per quam Dominus Ecclesiam regignit ut semine [b], nutrit vt lacte [c], confirmat vt cibo solido [d], armat denique vt gladio Spirituali [e]. Sub hac autem & legitimam Sacramentorum administrationem, & disciplinam Ecclesiasticam comprehendimus.

[a] Ioa. 10. 27. Eph. 2. 20. [b] 1. Pet. 1. 23. [c] 1. Cor. 3. 2. [d] Heb. 5. 13. [e] Ephes. 6. 17.

XXI.

Vnde secundum hanc tanquam certissimum κριτήριον Ecclesias diiudicamus, ut quæ huius ministerium purum retinent puræ, quæ impurum impuræ censeantur.

XXII.

Reliquas verò notas, quas Pontificii adferre solent, quia nec sunt Ecclesiæ propriæ, nec perpetuæ, nec ab essentia & natura eius desumptæ, sed externa & communia quædam accidentia, aut alioquin invisibiles, aut certè frivolæ & futiles, meritò ut nothas & spurias reiicimus.

PROBLEMATA.

An Ecclesiæ reformatæ seipsas á Romana iure segregârint? A
An vocatio pastorum Ecclesiæ reformatæ sit legitima? A.
An leges humanæ sive civiles, sive Ecclesiasticæ, conscientiam propriè & per se ligent? N.
An externum Ecclesiæ Regimen sit monarchicum? N.

An Petrus fuerit Ecclesiæ Monarcha? N.

An, cùm omnes lege naturæ, lege divinâ, legibus positivis in statu suo æquè teneantur solus Papa sit supra leges, & à nullo iudicari possit? N

An uni eidemque homini liceat Rempublicam & Ecclesiam administrare?

An Papa Concilia generalia cogere, & ijs præsidere debeat? N.

An solis Episcopis in Concilijs generalibus suffragium decisivum ferre liceat? N.

An concilia in fide & moribus errare possint? A.

An Papa sit supra Concilia generalia? N.

An Papæ potestas summa sit, & proxima secundum Deum, tum in Spiritualibus, tum in temporalibus Christianorum bonis? N.

An Papa sit Antichristus? A.

SOLI DEO GLORIA.